



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Directorivm Ecclesiasticae Disciplinae, Coloniensi
praesertim Ecclesiae accommodatum**

Frangipani, Ottavio Mirto

Coloniae Agrippinae, 1597

VD16 F 2269

De superstitione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62032)

notabile dederint pœnitentiæ signum . Qui autem eos loco sacro sepeliuerint, aut sepeliri curauerint, pœnitentiæ iure constitutis, alijsq; arbitrarijs puniantur.

*Cap. 8. titu. De heretic. cap. 7. tit. De consecr. Ecclesie. cap. 12. tit. De sepultura. cap. 3. Titu. De usuris in 6. ca. 2. Ibidem titu. De heretic. cap. 2. Concil. Bracaren. 1. cap. 34. cap. Placuit. in hi qui. 23. quest. 5. Conc. prou. sub Adol. 3. in censuris ca. ult. pa. 456. a. Stat. Sifr. ca. 14. pag. 47. b. c. Synod. Dioces. an. 1551. habit. pa. 530. a. * Cap. Omnis vtriusque sexus. De pœnit. & remissio.*

2. Infantes quoq; qui antè susceptum Baptismum fuerint mortui, loco prophano, ad hoc deputato aut deputando, extra cœmiterium sepeliantur.

Stat. Sifr. cap. 4. pag. 38. b. Syn. Dioces. anno 1551. habit. artic. 6. pag. 530. Concil. Bracaren. 1. cap. 35.

3. Ne sepulta defunctorum corpora aërem queant inficere, aut grauem per templa aut cœmiteria offundere odorem; tam profundè sepeliantur, vt duos pedes supra loculum terra congeri possit; ac in templis quidem lapidibus, in cœmiterijs verò vetustissimo Christianorum more, tumulo sepulcra muniuntur. Quæ porrò de sepulturis & exequijs in prouincialibus Concilijs, & Synodalibus Constitutionibus, ac à nobis titulo, *De diuinis officijs*, decreta & sancita sunt, omni sedulitate ac deuotione, ab omnibus in actum ducantur.

Conc. prou. sub Herm. 5. par. 7. cap. 28. 29. Conc. prou. sub Adol. 3. in cens. & decretis, ca. Cui mortuus sit Christus pag. 451. c. d. Synod. Dioces. an. 1550. feria 3. post. S. Matth. habit. pag. 467. Conc. prouinc. sub Conrad. Archiepiscopo ca. 26. pa. 17. d. Statut. Sifr. ca. 2. pa. 36. d. Stat. Vilhelm. cap. 17. pag. 169. a. b. c.

DE SUPERSTITIONE.

CVM variæ sint superstitionum species, quarum nulla est, quæ non vel tacitè vel explicitè cum Dæmone aliquam includit societatem, debitum uicè Dei honorem ad creaturas transferat, vel ad minus in falsi protestatione consistat; aut à vero religionis cultu, ad nugatoriam & noxiam Dæmonis pelliceat vanitatem: grauitè illi peccare doceantur; & ab erroribus conuenientibus modis reducantur, qui aliudè quam Dei reuelatione, fortui-

I.

Yyy 3 tarum

Deut. 18.
Leuit. 20.
Esaiæ 47.
1. Corint. 10.
26. quæst. 1.
2. 3. 4. 5. Exi.
tit. de sortil.

tarum rerum, actionumq; humanarum præscientiam prædictionemq; firmam sibi arrogant; vel qui rebus aut signis, ad effectum aliquem producendum vtuntur, ad quem nec naturæ ordine, nec diuina virtute, neq; Ecclesiastica institutione valere intelliguntur. Tales sunt, qui per nigromanciam aut Phytionis consultationem aperte cum Dæmone paciscuntur: qui ex garritu aut volatu auium, extorum inspectione prædicunt futura: qui ex die natali, aut sydere cõceptionis, manuum ac faciei lineamentis, ex somnijs quoq; mortuorum apparitionibus, ex galea quam vocant natiuitatis, alijsq; id genus obseruationibus, certo de futuris hominũ moribus, fortuna, aut exitu, pronunciant, & ex constellationibus euenta, atq; hominum opera prædicunt; eaq; & propensiones ad bonum aut malum, astris subiiciunt; aut ex sortibus, citra singularem Dei reuelationem vel inspirationem, occulta dijudicant: qui ad hominum pecorumque valetudinem conducere arbitrantur ligaturas quasdam, phylacteria, quosdam characteres, seu imagines astrologicas, preces ad certum & determinatum verborum numerum restrictas, verba sacra, sanctorumque reliquias de collo suspensas; & his similia millia inanium obseruationum, vim quandam occultam his characteribus, aut idiomati scripto attribuentes, aut alias vanas condiciones, tanquam necessarias addentes. Adhæc qui certis horis, diebus, mensibus, vel annis, volunt, aut nolunt aliquid inchoare, tempora quædam fausta aut infausta statuentes, nec non & ij, qui herbas certo die, hora, aut ritu decerptas, ad certas quasdam iniurias ac pericula propulsanda valere confingant. His porrò annumerandi sunt magi atq; malefici, qui maleficijs corpora, non præstigio solum sed veraciter miris modis immutant; homines dementant; bestias occidunt; matrimonij consummationẽ impediunt; valetudinem

26. qu. 7. Cap.
Si quis. Capi.
nõ obseruetis
ca. Qui ex
istimaret.

tudinem lædunt; sterilitatem terræ inducunt, omniaque nocendi genera exercent, non ex syderum aut maleficorum vi, sed Dæmonum auxilio.

2. Neque verò hi solum, qui prædictis superstitionibus & maleficijs dant operam, grauissimè peccare censendi sunt: sed & illi qui in eiusmodi rebus, talium hominum auxilium implorant, sollicitant, pecunia redimunt, eosque super amissis rebus, aut occulta veritate cognoscenda, vel soluendis maleficijs cõsulunt.

*Leuit. 19.
4. Reg. 1.
Cap. Admo-
necant fide-
les. 26. qu. 7.
ca. Ex tuarũ
tit. De fors. 1.
Grego PP. 3.
ca. 12. Concil.
Rom. Conc.
Tolet. 4. ca.
28. ca. Si per
fortiaras.
33. quæst. 2.*

3. Contra quæ ab Ordinarijs inquisitoribus, Pastoribus, Concionatoribus, atque sæculari magistratu, pro vniuscuiusque officio, tanto diligentius & vigilantius nunc agendum est, quod maleficorum numerus & nocendi libido, multarũ animarũ iactura, partim ex impunitate, partim ex errore, deceptione, & infidelitate, indies magis magisque in hac prouincia crescere videatur: ac omni cura docendus populus, vt ad depellenda maleficia, eorumque vim hebetandam ijs vtatur remedijs, quæ aduersus nequitias, & illusiones Dæmonum Ecclesiastica sanxit authoritas, vsusque confirmauit: vt sunt signum crucis, solemnes exorcismi, aqua benedicta, benedictarum campanarum pulsus, cerei herbe consecratæ: in primis verò sincera ad Deum conuersio, frequens Sacramentorum vsus, ieiunium, eleêmosina, oratio, & Missæ sacrificium.

4. Vt detestabili huic superstitionum, & illicitarum diuinationum, artiumque magicarum, studio certius occurratur: prohibemus omnes & singulos libros, opera & tractatus astrologiæ iudiciariæ, qui de futuris contingentibus, successibus, fortuitisue casibus, aut ijs actionibus, quæ ab humana voluntate pendent, certo aliquid affirmare audent, permissis duntaxat iudicijs, & naturalibus obseruationibus, quæ nau-

*vide regul. 9.
indiciũ libro-
rum prohibi-
to. Concil.
Trid.*

navigationis, agriculturæ, siue medicæ artis iuuãda gra-
 tia conscripta sunt. Ad hæc libros omnes & scripta Geo-
 mantia, Hydromantia, Aeromantie, Pyromantia, Ono-
 mantie, Chyromantie, Necromantie, siue in quibus sor-
 tilegia, veneficia, auguria, auspicia, execrables incanta-
 tiones, ac superstitiones, & artes magicæ continentur: ac
 sub pœna excõmunicationis, à qua non nisi Episcopus
 absoluere valeat, à quibuscũq; Christi fidelibus legi, aut
 quomodolibet retineri vetamus; sed illos Episcopis &
 Ordinarijs locorum, vel inquisitoribus præsentari, & cõ-
 signari volumus, & nihilominus vigore Constitutionis
 S. D. N. D. Sixti PP. V. contra exercentes Astrologiæ iu-
 dicariæ artem, aliaque diuinationum genera edita: sta-
 tuimus & mandamus, vt tam contra Astrologos, Ma-
 thematicos, & alios quoscunq; dictæ Astrologiæ iudici-
 ariæ artem, præterquam circa agriculturam, nauigatio-
 nem, & rem medicam, in posterum exercentes, aut fa-
 cientes iudicia & natiuitates hominum, quibus de futu-
 ris contingentibus, successibus, fortuitisque casibus, aut
 actionibus ex humana voluntate pendentibus, aliquid
 futurum affirmare audent (etiã si id se non certo affirma-
 re asserant, aut protestentur) quàm contra alios vtriusque
 sexus, qui supradictas damnatas, vanas, fallaces, & perni-
 ciosas diuinandi artes, siue scientias exercēt, profitentur,
 & docent, aut discunt, quiue huiusmodi illicitas diuina-
 tiones, sortilegia, superstitiones, veneficia, incātationes,
 ac præmissa detestanda scelera faciunt, aut in eis se quo-
 modolibet intromittūt, vel libros prædictos scienter le-
 gunt aut retinent, & scripta huiusmodi, seu in quibus ta-
 lia continentur, cuiuscunque dignitatis, gradus, & con-
 ditionis existant: tam Episcopi & Prælati superiores, ac
 alij Ordinarij locorum, quàm inquisitores hæreticæ præ-
 uitatis, deputati, aut deputandi, etiam si in plerisq; his ca-
 sibus antea non procedebant, aut procedere non vale-
 bant, diligentius inquirent, & procedant, ac inquirere
 & pro-

*Constitut.
 huius initiũ
 est. Cæli &
 terræ crea-
 tor Dat. Ro-
 me apud S.
 Petrum. An-
 no 1585. nonis
 Iannus. Põt.
 gij anno 1.*

& procedere liberè & licitè possint, atque in eos seuerius
 Canonicis pœnis, & alijs, eorum arbitrio animadu-
 erant.

5. Ut autem hæc omnibus innotescant, vniuersis Or-
 dinarijs, Archidiaconis, & Archipresbyteris, in virtute
 s. obedientie mandamus, vt ea cum primum receperint,
 in Ecclesijs sui districtus, dū in eis populi multitudo ad
 diuina conuenerit, deinde verò semel in anno, & quoties
 eis expedire videbitur, vulgari sermone publicent, aut
 publicari faciant.

DE BLASPHEMIIS ET PERIURIIS.

VT a blasphemadi, temerè iuradi, b ac periurandi cō-
 suetudo, & facilitas, à finibus populi Christiani ex-
 terminetur, species horum peccatorū grauitas & enor-
 mitas, à Pastoribus & Concionatoribus ei diligenter ex-
 ponantur, & pœnæ quibus hæc crimina, ex Patrum san-
 ctionibus puniendæ & vindicandæ sunt, declarentur, at-
 que ab his, quibus ea iniuncta potestas est, ducantur in
 executionis vsum.

a Mat. 12. ca. Statuimus; De maledicis. Conc. Lateran. vlt. sess. 9. §. Ad abolendam. b Le-
 uit. 5. & 24. Zach. 5. Malach. 3. Eccles. 13. 2. Regum 21. Ezech. 17. Eutichian. PP. 1. citat eum
 Burch. lib. 5. ca. 9. Conc. Aurelian. 3. ca. 5. Pim. PP. 1. Conc. Matif. 1. ca. 11. causa 22. qu. 4. & 5.
 ca. Querelam. ca. Tua nos de iureiuranda.

DE VSVRIS.

AD compescendam & infrenandam, insatiabilem v-
 suræ crudelitatem, quæ quod in consuetudinem
 venerit plurimorum, aut nullum aut paruum creditur
 esse peccatum, adeò vt inter negociatores non solū pau-
 ci nunc sint, qui pecuniam suam non dent ad vsuram;
 sed paucissimi planè, qui lucro illo sint contenti, quod
 leges ciuiles ad vsuram recipi permittunt, hæc decernimus,

Zzz

& ad